

hanc rem stupendam, silentio tamen prætere-
 unt, Gualtherus Riff, Mathiolus, Dodoneus,
 Fuchsius, Dalecampius, Lobel, imò & Clusius
 qui ait, se nunquam ejus caulem vidisse. Sic
 centesimo anno nascitur lachryma cervi, pal-
 maque arbor & elephas fructum centesimo
 tantum anno proferunt. Certum enim tem-
 pus requiritur ad calorem, & vires acqviren-
 das, quibus partes quædam animalium, ut
 cornua, barba, &c. protrudantur: utque
 morbi quidam (utpote canis rabidi vene-
 num) 40. etiam annis in nobis latitant, & tan-
 dem dum materia coacervata est, unica die
 erumpunt, idem prorsus de Aloë dici potest,
 sic etiam asseveratur, prudentiæ symbolum,
 morum seriùs folia cæteris arboribus emitte-
 re, quæ tamen unicâ fere nocte, & cum sonitu
 & fragore quodam educit. Sunt etiam Nu-
 ces juglandes, quæ unicâ nocte, circa festum
 divi Joannis, & folia & fructus producant,
 quarum aquam potam curare Epilepsiam mul-
 ti asseverant.

Simili ergo pacto, viscosa hæc, & crassa A-
 loës planta, longum tempus insumit ad colle-
 ctionem materiæ sibi necessariæ, qua collectâ,
 facili postea negotio à natura foras ejicitur,
 spiritu ejus intrinseco materiam digestam, ma-
 gnâ copiâ inveniēte. Rem hanc memoratu
 dignissimam tum ob effectum prodigiosum
 poste-